

Änderung der Umschreibung der Kirchenprovinz Paderborn

Dekret der Kongregation für die Bischöfe vom 8. Juli 1994

in: AAS 86 (1994) 700-701; KA 137 (1994) 136-137, Nr. 176

Spirituali bono chistifidelium solliciti, Sacrorum Antistites quorum interest, audita Conferentia Episcoporum Germaniae, a Sancta Sede enixe expostulaverunt ut Ecclesiae Erfordiensis et Magdeburgensis noviter erectae, uti suffraganeae dioeceses Provinciae Ecclesiasticae Paderbornensi aggregarentur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, Divina Providentia PP. II, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Ludovici Kada, Archiepiscopi tit. Thibicensis et in Germania Apostolici Nuntii, de consilio Secretariae Status, preces ad Se admotas, animarum saluti valde profuturas censuit benigneque excipiendas decrevit.

Quapropter praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ad iuris conventi normam, novas Ecclesias Erfordiensem et Magdeburgensem dioeceses suffraganeas Ecclesiae Metropolitanae Paderbornensis constituit earumque Episcopos metropolitico iuri Archiepiscopi Paderbornensis subicit.

Ad haec omnia perficienda, Summus Pontifex deputat Exc.mum P.D. Ludovicum Kada, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

